



X 450

B. C. D.  
QUÆSTIONES MISCELLANEAS  
DE  
JURAMENTIS,

*Sub PRÆSIDIO*

SAMUELIS ANDREÆ,

S.S. Theol. D. ejusdemque Extraordinarii,  
Histor. & Eloqu. Ordinarii Prof.  
ac Bibliothecarii,

*In Auditorio Philosophorum,*

*Postridie Kal. Septembris, horis matutinis,*

*publicè sistit ventilandas*

JOHANNES JUSTUS MOGGENIUS,  
Greibensteinensis Hassus.



MARBURGI CATTORUM,

Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad. Typogr.  
Anno C1C1CLXXVI.

X 150 (108)

*Admodum Reverendo, Clarissimo & Doctissimo VIRO,*  
DN. JOHANNI SCHMALTZIO, Gregis Christi Gre-  
bensteinensis Pastori, ejusdemque classis Metropolita-  
no merentissimo, fidelissimo, Dn. Patrono ac Benefactori  
suo perpetim amando, venerando.

*Nobilissimo, Experientissimo & Consultissimo VIRO,*  
DN. GALLO WZREH/ Medicinæ DOCTORI, Civita-  
tis Schmalcaldensis P H Y S I C O meritissimo, Consulari  
spectatissimo, Dn. suo Cognato ætatem colendo.

*Nobilissimis, Prestrenuis, multaq; rerum bellicarum experientiâ  
conspicuis VIRIS, fratribus germanis,*

DN. JOHANNI JUSTO ELNBERGERO, rei milita-  
ris Cassellano-Hassiacæ COMMISSARIO ad PHILIPPO-  
BURGVN dignissimo, Dn. Avunculo suo & susceptori  
omni honore atque amore æternam prosequendo.

ET


DN. JOHANNI ANTONIO ELNBERGERO, Sere-  
niss. DUCIS Brunsvicensis in Wolfenbüttel Vigilum  
Præfetto Legionario fortissimo, iidem Dn. Avunculo  
suo nullonon amore ac observantia suspiciendo.

*Reverendo, doctrinâ ac pietate conspicuo VIRO,*  
DN. JOHANNI HENRICO DEICHMANNO, Ec-  
clesiæ Patriæ DIACONO vigilantissimo, Dn. Fautori suo  
jugiter honorando.

*Pereximio, Præstantissimo ac Doctissimo VIRO,*  
DN. JOHANNI JACOBO HUBMANN/ Reip.  
Schmalcaldensis Secretario peritissimo, Dn. Cognato  
suo æviternum honore ac amore complectendo.

*Hanc disputationem in gratitudinis & observantiæ  
notam, ulteriorisq; benevolentia incitamento  
submissè dedicat & offert*

JOHANNES JUSTUS MOGGENIUS.



הג

QUÆSTIONES MISCELLANÆ  
DE  
JURAMENTIS.

Q. I.

*An jurare sit licitum?*

I.



Notum est, non solum Anabaptistas hodie, omnia juramenta ceu divinã Servatoris lege prohibita rejicere ac nefas ducere jurare, sed etiam quosdam tenerioris conscientiæ homines, aut nimium de probitate sua præsumentes, omni modo juramenta, etiam legitimè delata, subterfugere ac declinare, atque malle, simplici suæ asseverationi fidem adhiberi.

Unde meritò quæritur, *quid de illa jurisjurandi religione sit sentiendum?*

II. Si *Curtio* fides, nulla apud Scythas olim juramenta fuerunt. Sic enim Legatos illorum *lib. 7. cap. 8.* introducit Alexandrum alloquentes: *jurando gratiam Scythas sancire ne credideris. Colendo fidem, jurant. Græcorum ista cautio est, qui aetã consignant & Deos invocant. Nos religionem in ipsã fide novimus. Qui non reverentur homines, fallunt Deos.* Atque ita *Lucianus* præter decorum in *Toxari* seu *Dialogo de amicitia*, *Toxarin* Scytham induxisset jurantem per ventum & acinacem. Verius tamen arbitror quod *Grotius* asserit *lib. 2. de Jure B. & P. cap. 13 §. 1.* apud omnes populos ab omni ævo maximam semper vim fuisse jurisjurandi.

III. Id quidem fatendum, si illa reſtitudo morum inter homines obtineret quæ omnem excluderet à dictis fallaciam, atque fides posset

A 2

cuius



cuius simpliciter affirmanti adhiberi, non opus fore juramentis; dixisse enim satis esset. At cum solus Deus sit verax & omnis homo mendax, atque insuper tot sint exceptiones ac insidiae quae verbis struuntur, omnino non solum licitus sed & necessarius juramentorum usus, ut conscientiae hominum & fides verborum persaepe fluctuans arctiori quodam vinculo adstringatur, & terror injiciatur, temerè violantibus promissa.

IV. Maneat ergo verum id quod olim *Augustinus Epist. 154.* Non jurare, sed pejerare, peccatum est. Neque alia mens sive Servatori *Matth. V. 34.* seqq. sive *Jacobo cap. 5. v. 12.* Nam ad temeraria Judaeorum juramenta quae in usu quotidiano & sermone familiari per caelum, per terram, per caput fiebant, respicit potissimum, & ostendere intendit, omnia juramenta de re inutili & non necessaria quovis modo praestita prohiberi, proinde facilitatem jurandi, & temeritatem ubi nihil est quod juramentum requirat, omnino cavendam, ut benè monet *Rivet. in 3. praes. Decalogi qu. 2.*

V. *Grotius* quidem *l. c. §. 21.* vult hoc interdictum Servatoris & *Jacobi* propriè non ad assertorium juramentum sed promissorium futuri incerti pertinere. Verùm idem modò laudatus *Rivetus l. c.* ostendit, nimium hanc ratione concedi Anabaptistis, & à mente Servatoris aberrari, quasi juramenta promissoria futuri hanc ratione prohibita forent, cum contra adversus temerè jurantes & perjuratorum effugia in formulis, sermo Domini dirigatur.

Q. II.

*An juramenta per creaturas omni ratione sint prohibita?*

I.

Cum juramentum legitimè praestitum sit actus religionis, adeoque jusjurandum sit invocatio nominis divini ut veritati testimonium perhibeat & jurantem puniat, si sciens fallat, patet, hoc respectu omne juramentum per creaturas prohibitum esse, sive quatenus per eas solas juratur ut in eis relucet perfectio divina, sive quatenus creaturae in formula jurandi cum vero Deo conjunguntur, uti factum in illa per quam novos Magistratus jurare jubat *Iustianus Nov. 9.* ubi cum Deo omnipotente & filio ejus unigenito, Domino nostro Jesu Christo,

sto,

( 5 )

sto, conjunguntur *sancta & gloriosa Dei genitrix & semper virgo Maria ac sancti Archangeli Gabriel & Michael*, atque per eos conjunctim juratur. Quorum posterius majori adhuc quam prius vitio laborat.

II. Interim certum, quod gravissimus Theologus *Rivetus l. c. qu. 3.* rectè docet, dari speciem juramenti in quâ creaturæ nomen possit adhiberi sensu commodo, sine ulla Dei contumeliâ, & sine idololatriæ suspitione. Quale 1. Execratorium, cùm quis creaturam ad se pertinentem quasi devovet Deique Judicis severæ ultioni velut oppignerat nisi verum dicat. Sic potest aliquis in re seriâ, caput, animam, filios & reliqua ad se pertinentia, quantum in ipso est devovere si sciens fallat. In talibus enim non jurat per eas res; sed tantum agnoscit coram Deo, se dignum esse qui in illis puniatur, si pejeret. Qualia nec in Scripturis desunt exempla, *Davidis Psal. VII. 5. 6.* & *Pauli 2. Cor. 1. 23.* Tale 2. illud, cùm quis earum rerum meminit in jurando, quæ quidem non sunt in ipsius potestate constitutæ, ac proinde nec eas potest devovere, sed tales sunt, quarum apud eum ratio haberi in primis debet inter res humanas, & quarum meminit non ut eas testes veritatis advocet, aut illis deferat honorem juramenti vel aliquâ ex parte, sed ut per comparisonem sui in eas res affectus & debitæ civilis reverentiæ, testetur hominibus coram Deo quam seriò agat, cum loquitur. Quò juramentum *Josephi per vitam Pharaonis Gen. XLII. 15.* & *Christianorum veterum per salutem Imperatoris jurantium apud Tertull. Apolog. cap. 32.* pertinet.

III. Neque solus *Rivetus* est qui de juramentis per creaturas ita sentit. Nam idem antea statuerat *Calvinus in Harmon. Evang. ad cap. 5. Matth.* licet huic quoad explicationem loci *Matth. V. 34. seqq.* non per omnia *Rivetus* ad stipuletur. Idem quoque postea sensit *Cl. Migius*, amicus meus, nunc Rector *Academix Heidelbergensis*, in notis suis eruditis ad tractatum *Majemonidis de juramentis* à se Latine versum, pag. 130. saltem quatenus sumpsit demonstrandum, prohibitionis juramentorum per creaturas, factorum (ut pag. 126. exponit) subordinatè ad Deum & ita ut creatura nominetur tanquam subiectum in quo Deus vindictam exerturus sit, aut tanquam aliâ quapiam ratione nos ad ipsum Deum manuducere & cogitationem de eo in nobis excitare apta nata; vestigium nullum in sacris literis extare. Neque multum abluat ex *Lutheranis Theologis Osiander in Annotat.*

( 6 ) 90

ad Grot. de J. B. & P. pag. 982. Amplius verò etiam adhuc dicit Sander-  
son de Jurament. oblig. præl. §. 2. licet æquè inter juramenta & obtesta-  
tiones paulò subtilius distinguere videatur.

Q. III.

*Quid sit jurare per Anchialum?*

**A** Pud *Martialem Epigram. lib. XI. Ep. 95.* hæc verba occurrunt  
Ecce negas, jurasque mihi per templa tonantis.  
Non credo: jura Verpe, per Anchialum.

Quid hic sit per Anchialum jurare Criticorum ingeniis est  
discussum. Constat his verbis à Theodoro Judæo postulari jura-  
mentum quod sit validius illo per templa Tonantis. Quo an intelle-  
xerit templum Jovis Capitolini, an verò templum Hierosolymita-  
num, in ambiguo est. Prius Gerh. lob. Vossius ejusque filius Diony-  
sius, ille *Hist. Pelag. lib. 5. part. 2.* hic in *Notis ad Majem. de Idololatr.*  
c. 5 § 13. statuunt. Posterius, præeunte Seldeno, magis verisimile vi-  
detur supra laudato Amico meo D. Miegio l. c. pag. 132. ex hac ratio-  
ne, quòd cum id Numen non assis faceret Judæus, non potuerit eo  
se juramento obstrictum putare. Cui & altera adjici potest, nempe  
haud probabile Judæum juramento idololatræ usum per templum  
Jovis jurasse.

II. Sed quis ille Anchialus? Somnia procul dubio sunt, quæ  
*Domitius Calderinus* de statua & Numine Sardanapali in Anchialâ  
urbe Ciliciæ culto conjecit: quæ it. *Hermolaus ad Plin. lib. 5. c. 27.* &  
*Rigaltius* de Anchialo, quem Martialis puerum fuisse putat, notarunt,  
meritò à *Farnabio* in *Notis ad h. l. Martialis* rejecta. Audacior etiam  
conjectura *Isaaci Vossii*, qui cum in antiquissimo *Thuani Codice*  
*Anchialium* legi vidisset, rescribendam duxit *Ancharium* vel *Anca-*  
*rium*, referente eruditissimo *Bocharto Hieroz. Tom. 1. c. 18. p. 223.* Ut  
sic asinus אַשְׁמֹרֶת seu אַשְׁמֹרֶת notetur, qualem opinione Genti-  
lium à Judæis pro Numine cultum, ex *Plutarch.* aliisque constat.  
Nec minus violenta *Seldeni* interpretatio, qui *prolegom. lib. de success.*  
*ad bona secundum leges Hebr.* integram juramenti formulam existi-  
mat fuisse אֲשֶׁר אֵין עִוְלָם s. *iperan chi olam* h. e. *ulciscatur qui*  
*vivit in aeternum*, sc. si pejeraverim. Nam per Latinum esse evidens,  
&



& דוּ וְיִפְרָע non iperan sed iphran legendum. Non melior etiam con-  
jectura Iob. Croji, qui Seldeno citante, אֱלֹהֵי חַי עַד עֵלְמֵי Elchi olamo  
legit, quod idem ac Deus vivit in aeternum. Unde enim hanc for-  
mulam inter Judæos receptam fuisse probabit? Idem de illa Sam.  
Petiti censeo, qui Variar. lect. lib. 1. c. 16. pag. 72. Anchialon quærit in  
אֱלֹהֵי חַי עַד עֵלְמֵי Quæ sic ipse legit An chi alon & vertit: Non: vivit  
Altissimus. Ut sit juramentum inficiantis.

III. Propior verò illa Scaligeri qui in prolegom. libr. de Emend.  
temp. respici putat ad formulam אֱלֹהֵי חַי quod Chaiala vel Chiala  
pronunciabant, sæpius in sacris recurrentem cui assentitur Vossius  
Hist. Pelag. lib. 5. part. 2. Addit Farnabius in Notis integram formu-  
lam fuisse אֱלֹהֵי חַי אֱמֵן Im chi alab atque sic extare Jer. V. 2. Cu-  
jus conjecturæ præter Ursinum Analect. pag. 21. etiam sæpius lauda-  
tus Amicus meus, tanquam quæ proximè ad veritatem accedere vi-  
deatur, subscribit l. c. simulque abjicit propriam quam mihi olim  
cùm de hoc loco inter nos ageremus exponebat conjecturam, de Ini-  
tialibus Decalogi vocibus אֱנוּכֵי הָאֱלֹהִים Anochi elohecha decur-  
tatis & in carminis rationem redactis.

IV. In quâ Farnabianâ observatione & ego hæctenus acquiesco,  
nisi quod insuper existimem 1. Falli eundem, quando אֱמֵן in jura-  
mentis adhibitum fuisse ex Jerem. V. 2. conatur probare. Ibi enim דוּ  
אֱמֵן non cum proximè sequenti חַי sed cum remotiori וְיִפְרָע est  
construendum; quod si dixerint, vivit Dominus, uti plerique Inter-  
pretum agnoscunt. Quod enim Græcos attinet, qui verterunt אֱמֵן  
γῆ κ' εἰς, ζῆ κ' εἰς, videntur illi mihi pro אֱמֵן legisse אֱמֵן  
quod frequenter apud Prophetas occurrit. 2. Cùm in epigrammatis  
Martialis argutiæ prædominentur ex sensus ambiguitate, nil repu-  
gnare, quin dum videbatur tritam solum jurandi formulam à Judæo  
postulare, simul eundem irriseris, quasi dum Anchialab diceret per  
Anchalium seu asinum jurares. Vid. Plaut. Pœnul. Act. V. Sc. 2.

Q. IV.

An AMEN apud Hebræos sit formula jurandi?

I.

Affirmant ex Veteribus plurimi. Origenes in cap. 26. Matih.  
Ad illa verba Amen dico tibi &c. γ. 34. Nec enim [inquit] cum  
Amen

Amen prolatum fuerat, dictum est, omnes vos scandalum patiemini. Postquam autem cum affirmatione juramenti pronuntiavit, non erat possibile ut non denegaret. Si enim juramentum erat Christi Amen, mentitus fuisset dicens, Amen dico tibi, si verum dixisset Petrus, quia non te denegabo. Ita Chrysostr. hom. 11. in Epist. ad Hebr. ὅταν ἐν αὐτῷ δὲ μὴν ἔαυτον ὁρκῶν, ἀμὲν, ἀμὲν λέγω ὑμῖν, ἢ δὴλον ὅτι ἐκ τῆς μὴ ἔχειν καὶ τὰ μείζονα ὁμῶσαι; Quæ non uti vertit interpres, sed sic reddenda: Quando ergo ipse jurat idem juramentum, dicendo scilicet, Amen, amen dico vobis, nonne planum, quòd non habeat majorem per quem juret? Et Augustinus tract. 41. in Ioh. Amen amen [ait] dico vobis, veritas dicit: & quale est Domini nostri dicere, Amen, amen dico vobis. Multum commendat quod ita pronunciat, quodammodo si dici fas est, juratio ejus est, amen amen dico vobis. Nec Hieronymus aliter & recentiores quoque plurimi.

II. Negat Faller. Miscell. lib. 1. cap. 2. & variis argumentis sententiam suam confirmat. Sed Glassius Gram. sacr. lib. 3. tract. 5. can. 16. meritò distinguit inter solennem jurisjurandi formam & inter firmam asseverationem, jurijurando ratione veritatis & firmitudinis æquipollentem, qualis voce Amen omninò exprimitur. Imò si in omni sermone humano audiens alterum tacitè adjurat, ut veritatem dicat; & loquens eo ipso quod loquitur, adeoque eo magis cùm particula ejusmodi asseveratoriâ utitur, se se velut juramento ad non fallendum alterius expectationem obstringit, uti cum Cel. Coccejo arbitratur, quem sæpius testem laudo, amicissimus Miegius, omnis hæc frustra erit controversia & tandem in logomachiam desinet. Vid. Notas ejusdem ad Majem. de juram. pag. 18. & 19. supra quoque allegatas.

Q. V.

An לכן LACHEN apud Hebræos sit formula jurandi?

I.

R Abbinorum observatio est in Rabbos Sect. ult. fol. 302. col. 1. אין לכן אלא שבועה שנאמר 'ולכן נשבעתו לכות עלי' i.e. Nusquam occurrit לכן Lachèn, quin juramentum noiet, prout dicitur (1. Sam. III. 14.) ולכן. Et ideo juravi familia Heli. Certum, 70 לכן



לכן non omnino æquipollere τὸ ἔτι, nec semper posse satis con-  
venienter per propterea reddi. In illo ipso loco Samuelis quidem non  
opus videtur emphasin aliquam urgere. Alia tamen quædam sunt,  
ubi hæc vox לכן videtur asseverationem majorem inferre, licet so-  
lennis juramenti formula dici nequeat. Ita 1. Sam. XXVII. 2. ubi bis  
occurrit: Et dixit David ad Achis: לכן cognosces quid facturus sit  
servus tuus: Et dixit Achis ad Davidem, לכן custodem caputis mei  
ponam te omnibus diebus. Chaldaus levi mutatione ככן & Græci

per ἔτι reddunt. Syrus סהו אהו habet i.e. propterea. Arabs in  
hoc loco primùm per دلل eodem sensu reddit, dein omittit. Lu-  
therus emphasin in primo vidit per Wolan transferens, melius certè  
quàm Belga qui Tremellium & Junium secuti per alius exprimunt.  
Vulgata nullo jure per nunc expressit priori loco, & Diodati utrobi-  
que per dono reddens, non habuit causam sufficientem quare ab an-  
tiqua Gallica deflecteret, quæ pour vrai habet priori loco, perinde  
ac Anglica quæ per surely exponit. Quæ sanè versiones emphasin  
melius notarunt.

II. Sic Gen. IV. 15. 'כל הרג לכן כר' quid simplicius quàm ver-  
tere sanè quisquis occiderit &c. præsertim cum ad hominem Epicu-  
ræum sermo dirigatur, qui vix ipsi Deo etiam juratò erat crediturus?  
Et tamen emphasin plerique hîc negligunt. Græci verò (quos Sy-  
rus sequitur) planè videntur aliam lectionem secuti, ac si כן לא  
fuisset scriptum, quia ἔτι ἐστὶν transtulerunt. Eandem emphasin de-  
nique rectè observarunt Jerem. V. 2. לכן לשקר ושבעו Syrus qui  
transfert per Διὰ τὸ quod Matth. XIV. vers. 33. τὸ ἀληθὲς respon-  
det, atque Anglus, qui suum surely hîc quoque retinet. Nec dubi-  
to, si alia loca ubi hoc לכן occurrit ritè expendantur, plura fore  
quibus emphasis hæc possit quadrare.

#### Q. VI.

*An juramentum ab Idololatra exigi possit?*

I.

Status controversiæ hîc ante omnia rectè constituendus, quo-  
niam τὸ exigere ambiguitate laborat. Vel enim significat, præscri-  
bere alicui formulam jurandi certam, quæ idololatrica est, eam pro-

B

ponere

ponere & præfigere. Vel postulare in genere ab idololatra ut religiosè juret seu eo jurandi ritu utatur quo secundùm falsam suam religionem & conscientiam erroneam tenetur. Priori modo negamus exigi posse juramentum. Posteriori concedimus & affirmamus.

II. Malè ergò hæc confunduntur, quando pro æquipollentibus habentur: *an Christianus Princeps possit à Gentili & Idololatra juramentum exigere ita, ut à Turca postulet jurare ipsum debere per falsum suum Deum, seu an possit Gentili certam jurandi formulam, qua idololatrica est, proponere præscribere & præfigere, ut per illam, aut per falsos Deos, aut per tale vel tale idolum, ad quod majore religione tenetur, juret? Et, an Christianus Magistratus illum jurandi ritum, qui idololatricus est & per Pseudopphetam ad creaturus fit, à Turca confirmandum fœdus exigere possit? Quæ posteriora itidem differunt ab eo si quis quærat: an Christianus Magistratus postulare possit à Turca ut suo jurandi ritu [qui, ut dictum, idololatricus est & per Pseudopphetam ac creaturas fit] confirmet?*

III. Nam parenthesis adjecta evidenter ostendit, postulationem hîc intelligi implicitam non explicitam; non talem qualis foret si quis v.g. diceret *juraper caput Mahumedis, juraper Vixli Puzli, jura per illud vel istud idolum*. Sed talem ac si quis diceret, *jura debito modo, jura sic ut hæctenus receptum fuit fœdera inter nos sancire*. Talis enim postulatio non fertur in vitium formulæ adhærens, etsi illud sciat conjunctum fore si postulationi satisfiat, sed in firmitudinem pacti & obligationem jurantis, quam exigens directè intendit.

IV. Adde quod qui dicit *se utroque pollice largiri, Principes Christianos, haud movere Turcam ad id quod sine peccato ab eo fieri non potest quâ videlicet illud ipsum est peccaminosum: & simul exponit quomodo asserat juramentum idololatricum à Turca exigere Christianos, nempe dum volunt ut eo juramento utatur quo juxta falsam suam religionem tenetur: satis indicet, se de tali postulatione locutum quæ nullam formulæ præscriptionem comprehendit.*

V. Accedit quòd minus rectè quæstio historica, in quâ ad experientiam provocatur, confunditur cum quæstione juris. Anne enim negari potest, *sæpe fœdera pacis inter Christianos & Turcas juramento fuisse sancita? aut, postulatum fuisse à Turcâ, ut suo jurandi ritum ea confirmaret? Qui ad Turcam dicit jura, aut vult fœdus juramento*

con-

confirmari sic ut eo magis firmum maneat, annon vult jurare eum suo ritu, quò teneatur? annon pollulat ut eo ritu utatur qui conscientiam ejus erroneam obliget utut idololatricus sit? Nam quomodo jurant Turcæ? Ecce formulam ex Epistola Solimanni ad Magistrum magnum Equitum Rhodiensium quæ habetur in Paralipom. ad Vrsperg Chron. an. 1523. jure Deum cœli terræque autorem juro quatuor Evangelica historia Chronographos, vicies quater mille Prophetas lapsos è cœlo, summumque inter hos nostrum Mahumetem, adorandos item manes a vi patrisque, tum hoc sacrum augustumque meum Imperiale caput.

Vi. Facit hîc mecum Osiander Theologus Tubingensis in annot. ad Grot. pag. 986. Non solum juramentum ab idololatra potest recipi, sed etiam potest exigi. Quanquam autem pro Grotio videatur militare, quod si quis exigat juramentum ab idololatra ipsum faciat peccare. nam facit ipsum nomen Dei ducere in vanum, & tribuere idolo quod competit soli Deo, 2. quòd hac ratione etiam aliquis à Mago possit opem implorare & exigere auxilium, 3. quòd quidem exempla sint juramenti ab idololatri excepti in sacris, sed non exacti aut petiti à fidelibus; tamen talia non concludunt: tum quia peccatum sequitur per accidens non ex exigente juramentum sed ex jurante, qui aliter jurare posset si vellet; quemadmodum itaque non peccat, qui necessitate quadam ab usurario pecuniam accipit mutuo & promittit sese soluturum usuras, utut præbeat materiam peccandi, ita etiam exigens juramentum ab idololatra non peccat, etsi materiam suppediet, ex quâ peccatum sequatur.

Vii. Consentit etiam Zieglerus JC. Wittebergenfis, & plus adhuc dicit in Not. ad Grot. pag. 364. Nam postquam Duareni sententiam approbasset & distinxisset inter juramenta quâ talia & quâ idololatrica; it. inter id exigere juramentum & id præfigere ut quis juret per falsos Deos, præeunte Danhauero; subjicit & superaddit: Quin si perpendantur omnia & imprimis quòd per juramentum idololatricum evessio tum Ecclesia tum politica evitari possit, converti autem ad verum Deum de presenti non possit idololatra, cum quores est, etiam idololatricum juramentum exigere per Principem Christianum posse, absolum non videtur.

Viii. Haic subscribit Henniges, JCtus Onoldinus, observat. ad Grot. pag. 642. & 643. Nescio (ait inter alia) annon injuria Deo fiet, si per nomen ejus gentiles, quod ludibrio habent, jurare cogamus.

Itaq;

Itaque consultius erit non solum per suos Deos jurare volentes admitte-  
re, sed & nolentibus TALE JURAMENTUM deferre. Neq;  
se Deo injuria facta videtur, quando non in hoc tale juramentum exci-  
gimus, ut velimus verum Deum negare, aut gentiles in sua superstitione  
magis confirmatos reddere. Sed potius, ne eorum fides, juramento ipsis  
apparenter invalido nobis fluxa & periculo sit, &c. Vid. etiam eximium  
inter Theologos nostros Rivetum, antea laudatum, in praecept. 3.

Decalog. q. 4. in quo bono nomine subsisto.


COROLLARIA RESPONDENTIS.

1. Omnipraesentia est attributum Dei respectivum;
2. Receptum illud Philosophotum effatum; Nihil est in intellectu,  
quod non prius fuerit in sensu; approbare non possumus.
3. Voluntas liberè quidem & voluntariè, nihilominus tamen infalli-  
biliter in bonum fertur.
4. Operationes vitales corporis non dependent ab anima.
5. Spatium à corpore non distinguitur realiter.
6. In constituendis Magistratibus electio successioni praerferenda est.
7. Quòd verò, consuetudine successionis introductà, primogenitus  
reliquos excludat, omnino probandum est.


**M**oggeni, Invenis per amande, quid ausibus istis?  
**O**ptatos cupio decerpere ab arbore fructus.  
**G**ermen quæso prius myrti cur inseris illi?  
**G**ermen myrtatum mihi suavia ferta parabit.  
**E**nge decus Invenum, quod tantis ausibus optas,  
**N**on cadet incassum; fructus te mille beabunt,  
**I**n Sophicis hortis, quæ myrtea cuncta videntur,  
**V**i quorum & toto prius est in corpore sudor,  
**S**vavem, crede mihi, plectent tibi laude coronam.

Hæc paucula Doctissimo Dn. Respondenti,  
Amico & Contubernali suo svavissimo  
gratulabundus appoluit

M. HENRICUS WEPNERUS,  
h.r. Stipend. Major.




FINIS.











B. C. D.  
QUÆSTIONES MISCELLANEAS  
DE  
JURAMENTIS,

*Sub PRÆSIDIO*

SAMUELIS ANDREÆ,

S.S. Theol. D. ejusdemque Extraordinarii,  
Histor. & Eloqu. Ordinarii Prof.  
ac Bibliothecarii,

*In Auditorio Philosophorum,*

*Postridie Kal. Septembris, horis matutinis,*

*publicè sistit ventilandas*

JOHANNES JUSTUS MOGGENIUS,  
Greibensteinensis Hassus.



MARBURGI CATTORUM,

Typis SALOMONIS SCHADEWITZII, Acad. Typogr.

Anno CIOICLXXVI.

X150 (108)